

Commissionis Historicae Praemonstratensis incunabula et usque incrementa (1904, 1924, 1974)

*Egregiis sociis in pace cum
Christo pie dicatum.*

Decurrente hoc anno 1974, erectionis recolitur memoria Commissionis Historicae ordinis Praemonstratensis abhinc quinquaginta annis, simulque evulgationis periodici *Analecta Praemonstratensia*.

Novum hoc scientificum institutum non erat nisi maera prosecutio insignis periodici ab anno 1904, sola abbatia Parcensi, in Belgio prope Lovanium, duce, editi sub lemmate *Analectes de l'ordre de Prémontré*. In quo varia studia circa jus tam disciplinare quam liturgicum congregationis a divo Norberto plantatae, a beato Hugone Fossensi informatae, cura praecipue Ampl. D. Quirini Nols, S.Th.D., abbatis, ac fratrum Michaelis et Raphaelis Van Waefelghem et Pauli Lenaerts, Parcensium canonicorum, adjuvantibus quibusdam laicis, peritis in historia, prodierunt.

Hujus encomium operis nunquam exaltandum est satis. Mirum sane est quomodo, restaurata vita canonica in Belgio, tenuis abbatiae cura historiae fervor, nostros semper penes parentes eximius, reviviscere potuerit. Defuncto autem post immane bellum 1914-1918 periodico a Parcensibus edito, cum operarii ejus ad varia ministeria interim fuissent dispersi, simulque unius monasterii non amplius ali posset emolumentis, propositum adempta resarciendi a junioribus sacerdotibus in provincia Brabantica, tunc jam historica scientia laureatis, breve post temporis circulum fautum est. Opus, olim a sola abbatia peractum, collegialiter repetere deinceps et agere oportebat. Sub tutela Brabantiae circariae, denuo coetus novus seligendus foret, qui iterum colligere, edere et explorare scientifice ordinis valeret historiae documenta. Primus, ut videtur, istius propositi ductor fuit Orn.D. Aemilius Valvekens, tunc abbatiae tabularius Averbodiensis. Is, annuente Ampl. D. Hugone Lamy, abbate Tongerloensi, Lovanii,

mense julio 1914, in ethicis et historicis scientiis qua doctor, maxima cum laude, renuntiato, mentem suam pluries aperuit de oportunitate hanc renovationem mox inducendi. Unde, convocati ad audientiam, quidam canonici monasteriorum Belgii et Hollandiae, Ampl. D. Quirinus Nols, abbas Parcensis D. Julius Evers, Averbodiensis, D. Ambrosius Erens, archivista Tongerloensis, D. Placidus Lefèvre, tabularius in archivio regni et lector in Universitate catholica Lovaniensi, D. Hugo Heijman, archivista abbatae Bernensis, repetitis vicibus convenere ad statutum novae Commissionis delineandum. Quibus sessionibus pluries Illustr. D. Crets, abbas Averbodiensis, tunc totius Ordinis caput, adfuit. Propositum est periodicum trimestriale annuatim edere, cum articulis longioribus, miscellaneis brevioribus, librorum recentioribus ac chronico eorum quae praecipue circa Ordinis fata ab extraneis edita fuerant. Textus, qua tales publicandi, ponerentur, cum apparatu critico et propria paginatione, in fine cuiuscumque fasciculi, ut postea simul qua unum possint coadunari.

In primo congressu, Averbodii 12^o novembris, anno 1924 habito, cooptatione membra ordinaria cum assumpto sibi praeside, Ampl. D. Lamy, praelato Tongerloensi, et D. Aemilio Valvekens, Averbodiensi, qua secretario, a Generali fuere recognita.

Sub primi praesidentis regimine, membris fundatoribus nova adjuncta sunt. D. Daniel Delestré, archivarius Grimbergensis coenobii, ab anno 1928 ad annum 1936 Commissionis labori participavit. D. Joannes Evangelista Versteyle, archivarius Parcensis, ab anno 1930 vocatus, ac postea abbas sui monasterii factus, simulque Eth. et Hist. D. effectus ab anno 1950 usque 1962, defuncto primo praeside, hujus munus peregit. Orn. D. Milo Van Lee, S.Th.D., canonicus et lector Parcensis, anno 1938 factus est membrum et usque ad annum 1968, quando defunctus est. D. Godefridus Sijen, Postulensis, membrum egit ab anno 1938 ad annum 1947. Morte eheu praematura sublato anno 1944 Orn. D. Valvekens, secretario Commissionis et quasi conditori successit frater ejus Ornat. D. Joan. Baptista Valvekens, S.Th.D., I.C.B. et in Sc. Biblicis L., qui abhinc usque munus hoc, sane onerosum, adimplevit summa atque indomita cum diligentia.

Subsecuti sunt, decursu temporis, qua membra Commissionis, Orn. D. Milo Koyen, Hist. Sc.D., tabularius Tongerloensis (1948) Orn. D. Alphonsus Van den Hurk, Hist.Sc.L., Bernensis quondam Supprior (1950), Orn. D. Wilfridus Grauwen, Phil. ac Lit. D., Postulensis, tabularius in Archivio Regni (1964), postea, anno 1972, vice-

praeses effectus, Orn. D. Norbertus Weyns, S.Th.D., Tongerloensis (1969), D. Floribertus Van Bavel, tabularius a Statu laureatus, archivarius Bernensis (1970). Haec fratrum est series quae anno jubilaei currente, qua Commissio Historica Ordinis fungens, periodici *Analecta Praemonstratensia* providet sorti feliciter.

Quidam alii ex regionibus dissitis, ubi sua Ordo partitus est tabernacula, membra velut associata intitulati sunt.

In seligendo suos, aut cooperatores, semper invigilavit Commissio ne minus praediti assumerentur, Caligulae imperatoris, ludibrii memor, qui equum suum consulem agere jactitabat.

Sub Ampl. D. Versteylen, secundi praesidis regimine, condita est *Bibliotheca Analectorum Praemonstratensium*. In ea publicanda venient opera historica circa Ordinem, vel a membris Commissionis, vel ab aliis composita, eo quod nimis extensa in ipso periodico, etiam per partes, prodire non valerent. Plurae jam textuum editiones hic evulgatae sunt, ut v.g. *Sacramentarium liturgicum* et nuper *Antiphonale missarum Praemonstratensium*, ab Orn. D. Norberto Weyns producta et commentata. Ultimum hoc volumen undecimum totius numeratur catervae.

Mortuo Ampl. D. Parcensi anno 1962, ei successit ut praeses Clar. D. Placidus Lefèvre, Averbodiensis, Univ. cath. Lov. professor, ultimus tunc membrorum fundatorum superstes.

Eo duce, anno 1968 confecta est tamdiu desiderata tabula generalis eorum quae prodierunt, ut studia aut documenta, in *Analecta*, suo ab ortu. Auctor hujus catalogi Orn. D. Alphonsus Van den Hurk, Bernensis, rationem secutus est quam multoties praemonstraverat R.H.E. Lovanii, suis editis tabulis.

Anno 1972, ad senium praeside ducto, cum ipse munus optaret dimittere suum, Orn. D. Grauwen, Phil. et Litt. D., Postulensis, qua successor unanimiter electus est. Qui tamen officium illud acceptare renuit et exercere vita durante praedecessoris sui. Sub titulo vicepraesidentis tunc renuntiatus est. Et sic Commissionis gubernio in futurum provisum est. Quae omnia Ill. D.D. Calmels, die 12 decembris, habere ut stabilia est dignatus.

Comitiis periodici nunc praeaeuntium non est judicare utrum propria acta, aut caetera opera aliunde ipsis collata, ex sententia gesserint. Continua tamen cura anxiaeque, — testis ipsemet nunc praeses dimidium fuit per saeculum, — ut quae de Ordinis institutis, domibus, earumque incolis, acta et gesta panderentur, modo vere scientifico

fieret, validis scilicet testimoniis veritatem adumbrantibus alte selectis.

Commissioni indesinenter pro posse animorum fuit, — atque est, — in evulgando periodico suo, duobus adhaerere principiis, videlicet ea tantum retinendi quae veri momenti fata Ordinis meminerint, exclusis absque misericordia nugis, in risui nostrae aetatis ac taedio adunatis, ita ut veritatem spinis quandoque ac tribulis praegravent. Aliam normam se versarunt non pallidam devolvere litaniam factorum, solis pueris delectabilem forsitan, sed causas actorum pro posse et absque ambiguitate aperire, magisque genuinam historiae rationem contingere, ad normam lemmatis pervulgati : « Rara temporum felicitate, ubi sentire quae velis, et quae sentias dicere licet ».

Ut finis huic imponatur memoriali renovatae in Ordine, abhinc septuaginta annis, historicae disciplinae, conditorum haeredes non possunt eorum labores non laudare. Virgultum plantarunt, quod nunc crevit in arborem luxuriosam atque frondosam. Natale et nati intonsam primam juventam contemplandum est in abbazia Parcensi per decem annos. Quo exiguo tempore, potiora pro Ordinis quondam revocanda figura, — si *Bibliotheca Analectorum* exceperis, — producta sunt documenta quam postea, in ipsis *Analecta* longius infra tempus.

Praelati Lamy, ejusque inspiratoris Aemilii Valvekens, qui rudera bello relicta restaurare, et stabilem novi aedificii elevare fabricam voluerunt, memoria nunquam senescat.

Gratias ideo Patri luminum agentes, hodierni nos clientes, Ipsum precamur tanta custodiat, vivificet atque foveat jugiter.